

9. *Possitne lex servari per actum malum.* — Circa tertium occurbat disputatio cum Adriano et aliis: an peccando mortaliter possit vere lex aliqua servari. Sed de hoc videri potest D. Thomas, 1. 2, quaestione 100, art. 9, et 2. 2, quaest. 44, artic. 4; et infra tractando de lege positiva disputabitur; nunc admitto posse legem servari per actum malum, non vero quatenus malus est, sed quatenus aliquid boni ex suo genere habet, ex quo solum sequitur legem non praecipere semper omne bonum, loquendo de una lege in particulari, neque ita efficaciter reddere hominem bonum, ut non possit ipse malitiam aliquam admiscere bonitati intentae a lege. Unde quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu, fit ut actus quidem sit simpliciter malus propter circumstantiam ab homine adjunctam, et nihilominus propter bonam substantiam quam habet, sufficiat ad implendam legem. Deinde dicitur, hic maxime habere locum vulgatum principium, *finem legis non cadere sub legem*. Nam quamvis lex praecipiendo actum bonum ex genere, intendat etiam ut bene fiat, ut hoc modo possit hominem bonum facere, non tamen hoc totum praecipit semper, sed solum actus substantiam, ideoque per illam poterit impleri.

CAPUT XIV.

UTRUM OBLIGARE SUBDITOS SIT PROXIMUS ET ADEQUATUS EFFECTUS LEGIS.

1. *Quid sit proximus effectus legis.* — *Quid sit adequatus effectus legis.* — Praecipua efficacia legis ad faciendos homines bonos est ejus obligatio, quae videtur esse maxime intrinsecus effectus ejus, et ideo de illa consequenter tractamus: ut autem intelligatur quaestio proposita, duo termini in titulo positi sunt declarandi. Prior est *proximus*, qui ponitur, quia solum loquimur de effectu quem lex per se ipsa facere potest, et hunc vocamus proximum, ut nunc excludamus effectum quem lex per se non facit, statuit autem ut per hominem fiat, ut est, verbi gratia, punitio, et hic dici potest effectus remotus legis. Alius vero effectus esse potest magis remotus, quia licet sit intentus a legislatore, lex tamen nec illum per se facit, nec ad illum obligat simpliciter, sed ad aliquid ejus, ut est moralis bonitas subditi, de quo agemus in casibus sequentibus; nunc de primo tantum agimus. Alius terminus est *Adequatus*: potest enim dici talis effectus adequatus, vel quia nulla est

lex quae non habeat talem effectum; vel quia ille effectus non potest esse nisi a lege; vel denique quia lex nullum alium habet effectum. De tertio membro dicemus capite sequenti; nunc duo priora sub illa voce comprehendimus, et supponimus esse sermonem de propria lege, et de propria obligatione morali, ut excludamus legem metaphoricam, quae circa irrationalia et insensibilia versatur, quae non obligationem, sed necessitatem inducit per inclinationem, vel instinctum naturalem, quae ad praesens nihil refert. De lege autem propria et respectu rationalis creaturae, cum constet non inducere illam necessitatem simpliciter, dubium est an inducat moralem, quae obligatio dicitur.

2. Videtur ergo imprimis non posse hoc tribui omni legi, ex 1. *Virtus*, ff. de Legib., et c. *Omnis*, dist. 3, cum his quae tradit divus Thomas, q. 62, art. 2. Nam inter leges numerantur permittentes et punientes; at vero permissio opponitur obligationi, juxta illud Pauli, 1 ad Corinht. 7: *Hoc dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*; imo proprie loquendo ea dicuntur permitti quae facienda non sunt; permittuntur enim mala; ergo lex permittens non obligat: non est ergo obligatio effectus legis in universum. Idem dubium nascitur ex lege poenali, quia ad poenam nemo obligatur propria obligatione: imo sunt, qui censeant quoties lex specialem imponit poenam, non inducere obligationem. Hic etiam addi potest lex favorabilis, qualis est privilegium, quod lex appellatur ab Isidoro in capit. *Privilegium*, dist. 1, et tamen non obligat: nam unusquisque favori suo renunciare potest, cap. *Cum ad monasterium*, de regular. Denique consilium etiam inter leges numeratur: nam lex privata vocatur, in cap. *Nisi cum pridem*, de Renuntiat., et cap. *Commissum*, de Sponsal., et tamen non obligat.

3. Deinde neque in secundo sensu videtur obligatio adequatus effectus legis. Primo, quia etiam praecipita privata obligant, quamvis leges non sint. Imo non tantum praecipita quae ex jurisdictione procedunt, sed etiam sine jurisdictione obligare solent, ut praecipitum parentis ad filium, domini ad servos, et Praelati religionis ad subditos, etiamsi jurisdictionem non habeat, ut olim erat in usu etiam in monasteriis virorum, et nunc in monialibus reperitur. Item obligatio saepe oritur ex propria voluntate, ut in voto, promissione, et quocumque contractu: non est ergo obligatio adequatus effectus legis in illo sensu.

4. *Omnem legem propriam obligationem inducere.* — Nihilominus dicendum est primo nullam esse propriam legem quae obligationem non inducat, id est, necessitatem quamdam operandi, vel non operandi. Est communis assertio theologorum cum D. Thoma, quaest. 92, art. 2, ad 1, et q. 93, art. 2; Soto, q. 1, a. 1; Castro, lib. 1, cap. 1, ad finem, et Juristarum, in leg. *Legis virtus*, et in d. cap. *Omnis*. Et eodem sensu dixit Gratianus, dist. 4, ad finem: *Decretum necessitatem facit, exhortatio liberam voluntatem excitat*. Similem sententiam habet sub nomine consilii et praecipiti Hieronymus, l. 2 contra Jovin., circa med.: *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi praecipitum, necessitas est servitutis*. Et Ambrosius, lib. de Viduis, circa finem: *Praecipitum (inquit) in subditos fertur, consilium amicis datur; ubi praecipitum est, ibi lex est: ubi consilium, ibi gratia est*. Et infra: *Praecipitum ibi est, ubi est poena peccati*, utique propter necessitatem quam praecipitum inducit. Sic etiam dicit Augustinus in lib. de sancta Virginitate, cap. 14: *Domino praecipiente non obedire damnabile est*; et infra: *Praecipito quisque non obtemperat, reus est, et debitor poenae*. Ponderari etiam potest quod ait Gregorius, l. 12, ep. 17, et refertur in cap. 1 de Donat.: *Novitas quodammodo sibi legem imponit, ut debere se, quod sponte tribuit, existimet*: supponit enim legem imponere debitum. Denique Aristoteles, 1 Ethic., cap. 9, hac ratione dixit in lege esse vim coactivam, quia licet non omnis lex specialiter poenam imponat, infert tamen necessitatem ratione cujus homo fit dignus poena, si legem transgrediatur. Ratio autem sumitur ex dictis de substantia legis: est enim imperium procedens a voluntate efficaci obligandi ejus qui potestatem habet; sed voluntas efficax supposita potestate, inducit effectum; ergo. Sensus autem, et major declaratio assertionis patebit, respondendo ad ea, quae in primo membro objecta sunt, et ideo illis satisfaciendum est.

5. *Quenam leges permittentes habeant veram rationem legis.* — Circa primum ergo de lege permissiva uno verbo respondeo cum Castro l. 1 de lege poenal., c. 1, in fine, leges permittentes in tantum esse leges, in quantum latenter habent admista praecipita, sine quibus non posset intelligi permissio, ut specialiter decreta per legem. Quod significavit Glossa in dict. leg. *Legis virtus*, dum utitur exemplo legis primae, Cod. de Jur. et fact. ignor; ubi militi permittitur uti exceptionibus post sententiam

contra se latam, propter suam ignorantiam: nam illa permissio legis obligat judicem ad tales exceptiones admittendas, et idem est in similibus, ut cap. sequenti latius explicabo.

6. *De duplici obligatione consideranda in lege.* — Circa secundum de lege poenali, adverto duplicem posse intelligi respectum in tali lege, unus est ad judicem qui inflicturus est poenam: alius est ad reum qui illam passurus est. Priori modo dici potest lex illa inducere obligationem, et imponere illam judici, puniendi tale delictum secundum mensuram per legem praescriptam. Juxta illud Augustini, lib. de ver. Relig., c. 31: *In his temporalibus legibus, quamquam de his homines judicent, cum eas instituunt, cum tamen fuerint institutae et firmatae, non licebit iudicibus de eis judicare, sed secundum ipsas*. Haec autem obligatio major est in ordinariis iudicibus quam in supremo Principe, ut declarat D. Thomas 2. 2, q. 67, art. 4; in omnibus tamen est aliqua, praeterquam in Deo, qui est supremus Dominus, et potest poenam prout voluerit relaxare, sed hoc nihil ad praesens refert.

7. Circa posteriorem autem respectum advertendum est duas posse intelligi obligationes in lege: una est ad culpam, quae solet dici in conscientia: alia est ad poenam. Nam, licet haec posterior videatur illam priorem supponere, quia nemo fit dignus poena nisi per culpam, nihilominus controversi solet an lex aliqua inducat posteriorem obligationem sine priori, quod solum in quibusdam legibus humanis habet aliquam dubitationem: nam in divinis certum est illud principium: de illa autem quaestione postea dicemus, tractando de lege poenali. Nunc vel potest intelligi assertio posita de obligatione in genere, abstractendo ab illis duobus modis: vel melius dici potest, etiamsi aliqua lex non obliget in conscientia ad actum, propter cujus transgressionem poena imponitur, obligare saltem vel ad illum, vel ad solvendam, seu sustinendam poenam, et ita neque illam legem esse sine aliqua obligatione omnino propria. Dixi autem ad solvendam, vel sustinendam poenam, quia etiam de ipsa poena quaestio est, an lex per se et immediate obliget ad illam, quae non est hic tractanda; satis enim est ad assertionem positam, quod obliget, sive ante, sive post sententiam latam; sive ad agendum, sive ad non resistendum, atque ita ad sustinendam poenam.

8. *Opinio asserentium privilegium non esse veram legem.* — *Sententia auctoris privile-*

gium esse veram legem. — Circa tertium de privilegiis, multi propter illam rationem negant privilegium esse veram legem, sed aut secundum quid tantum, ut sentit Glossa in d. cap. *Privilegium*, aut nullo modo, ut sentit Castro, lib. 1 de Lege pœnali, cap. 1. Ego vero existimo, si privilegium cum proportione sumatur, non minus posse inter leges computari quam permissionem. Quæ est aperta sententia D. Isidori, § Etymol., cap. 19, ut videbimus cap. sequenti. Dico autem *cum proportione*, quia si sermo sit de privilegio temporali, vel concesso uni personæ, ut cum ejus vita finiatur, illud deficit a ratione legis, non præcise ex eo quod privilegium est, sed quia non est quid stabile aut firmum, quod diximus esse de ratione legis: at privilegium perpetuum concessum aut communitati alicui aut familiæ ut in ea semper duret, propriam rationem legis habet.

9. *De duplici privilegio, et qua ratione utrumque veram rationem legis contineat.* — Oportet tamen duplicia distinguere privilegia; quædam sunt concessa intuitu alicujus boni communis, quibus privatæ personæ renunciare non possunt juxta, cap. *Si diligenti* de Foro competenti, et l. *Jus publicum*, ff. de Pactis, ut est privilegium fori, verbi gratia, respectu clericum, cui ipse renunciare non potest, quia non intuitu personæ suæ, sed dignitatis clericali concessum est. Et hoc privilegium propriissime est lex, non solum respectu aliorum quibus præcipitur ut tale privilegium clerico observent, sed etiam respectu ipsius clericum, cui præcipitur ut illo utatur. In illa enim dispositione superioris invenitur perfecta vis obligandi: nihil ergo illi deest ad rationem legis. Alia sunt privilegia concessa intuitu privati commodi ipsarum personarum, de quibus est sermo in dicto capite *Cum accessissent* de Probat., et in regula *Quod ob gratiam* de Regulis jur., in 6, ubi Glossa et alii, Sylvester verbo *Privilegium*. Hoc ergo privilegium, si comparetur ad ipsum cui conceditur, sine dubio non habet rationem legis, ut probat ratio facta, quia non est præceptum illi impositum, neque obligat illum, cum possit ei renunciare. At vero respectu aliorum qui tale privilegium observaturi sunt, veram habet rationem legis: continet enim præceptum perpetuum obligans ad talem immunitatem servandam; alioqui valde inefficax esset tale privilegium: ergo sicut de promissione diximus, vel etiam de lege punitiva, quatenus obligat judicem ut tale justum nocumentum inferat, ita in præsentem dicendum est.

10. *Consilium rationem legis non habere ratio a priori ostendit.* — Circa quartum de consilio, Glossa, in dicta lege *Legis virtus*, propter illud censuit etiam consilium pertinere ad virtutem legis. Illam tamen communiter reprobant Bartholomæus et cæteri. Soto lib. 1 de Justit., quæstion. 2, art. 2, eam irridet, quoniam consilium potius condistinguitur a præcepto, et consequenter a lege, quod sentit etiam D. Thomas, dict. quæstion. 92, art. 2, ad 2, et quæst. 17 de Verit., art. 3, ad 2, et hæc sententia in rigore et proprietate vera est, ut supra etiam dixi: et ratio D. Thomæ est optima, quia consilium non requirit potestatem superioris, sed a privato etiam dari potest; ergo per se non requirit auctoritatem legis.

11. *Objectio. — Solutio.* — Objici vero potest, quia idem D. Thomas 1. 2, q. 108, art. 4, consilia evangelica ponit inter partes legis gratiæ. Respondetur primo, nomine legis interdum comprehendi totam dispositionem, seu providentiam legislatoris circa gubernationem subditorum, et sic ad illum pertinet non tantum præcepta dare, sed etiam consilia de iis quæ meliora sunt; quod observavit Christus Dominus in lege Evangelica, et in jure etiam humano, præsertim canonico, sæpe observatur, ut patet in cap. *Commissum* de Sponsalibus, ibi: *Tutius est*. Et multa sunt similia jura, ad quæ intelligenda est hoc sæpe necessarium. In hoc ergo sensu non male dixit illa Glossa legem non tantum præcipere, sed etiam consulere, quamvis re vera id non faciat formaliter, ut lex, sed concomitanter. Adde præterea, quando lex consulit unum effectum, sequi alium, nimirum, ut illud opus quod consulitur jure prohiberi non possit, nec tanquam malum refutari, et quoad hoc dici potest illa lex retinere vim legis, et obligare. Et hoc modo cum majori proprietate dicuntur consilia evangelica pertinere ad legem gratiæ tanquam approbata et stabilita per illam. Et hac ratione pro consiliis evangelicis damnamus hæreticos, qui paupertatem aut continentiam reprehendunt tanquam naturæ contrariam. Ita ergo nulla lex est, vel dispositio superioris quæ participet rationem legis, nisi in quantum obligationem inducit.

12. *Secunda assertio. — Obligationem esse adæquatam effectum legis.* — Dico secundo: Si obligatio proprie et cum proportione sumatur, semper oritur ex aliquo jure et lege, atque ita in hoc sensu dici potest hic effectus adæquatus legis. Declaratur breviter: nam imprimis necesse est loqui de obligatione communitati

imposita, quia si imponatur privatæ personæ, non erit ex lege, et idem est si imponatur ad breve tempus, quia tunc etiam deficit conditio requisita ad legem. Quamvis illæ etiam obligationes, quatenus habent aliquam convenientiam cum obligatione legis in hoc quod ab alio habente potestatem imponuntur: consequenter etiam conveniunt cum lege in hoc quod ex imperio seu præcepto aliquo proveniunt, maxime quando necessitatem in conscientia imponunt: imo etiam tunc ab aliqua lege totam vim obligandi accipiunt. Atque ita sensus assertionis est, omnem hujusmodi obligationem ex lege oriri aliquo modo. Probat autem primo a contrario ex Augustino, 22 contra Faust., cap. 27, definiente peccatum esse dictum vel factum contra legem: nam aperte supponit omnem obligationem ad aliquid vitandum vel faciendum oriri ex lege: nam quoties aliquis agendo contra obligationem propriam in conscientia peccat, agit contra legem: ergo talis obligatio erat ex lege.

13. Deinde probatur eisdem exemplis quæ in contrarium afferebantur, scilicet, voto, promissione, aut quocumque pacto: nam ex his omnibus non oritur obligatio, nisi ex virtute legis. In illis enim omnibus distinguere oportet fundamentum, seu proximam materiam obligationis a propria ratione et causa ejus: nam fundamentum consistit in aliqua actione humana: illa vero supposita, jus est quod obligat: sic in voto (et idem est cum proportionem de reliquis), proximum fundamentum obligationis est voluntaria promissio: quod autem proprie obligat ad illam implendam, est jus illud naturale ac divinum: *Si quid vovisti Domino, ne moreris reddere*. Et ita etiam juristæ dicunt omnem obligationem quæ ex contractibus oritur esse naturalem, vel civilem, quia ex jure naturali, seu gentium, aut civili oritur, ut sumitur ex textu cum Glossa in l. *Cum amplius*, ff. de Regul. jur., et l. *Ex hoc*, ff. de Justit. et jur., et ita satisfactum est secundæ parti rationis dubitandi in principio positæ.

CAPUT XV.

AN RECTE NUMERENTUR QUATUOR EFFECTUS LEGIS, PRÆCIPERE, PROHIBERE, PERMITTERE ET PUNIRE, ET QUOMODO AB ILLA FIANT.

1. Ratio dubitandi esse potest, quia obligatio de qua dictum est capite præcedenti, videtur esse adæquatus, id est, unicus et totalis

effectus legis; ergo supervacanea est hæc enumeratio. Antecedens probatur primo; quia essentialis ratio consistit in imperio: ex imperio autem, ut sic, non sequitur, nisi obligatio: reliqua enim sunt per accidens; ergo. Secundo declaratur discurrendo per illa membra: nam præcipere et prohibere formaliter idem sunt, solumque materialiter distinguuntur, et ideo superfluum est illa ut distincta ponere. Assumptum patet quia prohibitio etiam est quoddam imperium et præceptum: nam prohibere nihil aliud est quam præcipere ut aliquid non fiat, sicut e contrario præceptum est quædam prohibitio: nam qui præcipit audire Missam vetat ne omittat: et ideo Isidorus, lib. 2 Etym., art. 10, et l. 3, can. 19, solam prohibitionem ponit, et omittit præceptum, fortasse quia præceptum per se non dat bonitatem actui, sed necessitatem, quæ necessitas bene explicatur per negationem omittendi, quam significat prohibitio respectu talis materiæ. Permissio autem ut sic non est effectus imperii, sed potius per carentiam imperii fit. Nec denique punitio est effectus legis, sed esse poterit iudicis, vel legislatoris.

2. In contrarium autem est, imprimis auctoritas Isidori, qui saltem tres effectus distinxit, et quartum, qui est præcipere, ut clarum supposuisse videtur ex ipso nomine, et ratione legis. Apud Gratianum autem in cap. *Omnis*, dist. 3, ad textum Isidori adduntur hæc verba: *Divina autem præcipit, ut diligas Dominum Deum tuum*. Quæ verba non sunt in Isidoro, et illa particula *divina* inepte addita est, quia non sola divina lex præcipit, sed etiam alia. Et ideo in Decreto Gregoriano notatur, in multis codicibus non haberi, et sine dubio expungenda est, et legendum *aut præcipit*, ut sit quædam additio ad numerationem Isidori. Expresse vero illam particulam habet Modestinus in l. 7 de Legibus, dicens: *Legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire*. Atque ita hanc participationem defendit etiam D. Thomas, q. 92, a. 2. Eamque ratione declarat, quia actus humani, aut boni sunt, aut mali, aut indifferentes: illis ergo tres effectus legis respondent, qui sunt præcipere bonos, prohibere malos, permittere indifferentes, quibus additur quartus puniendi, tanquam necessarius ad efficaciam legis. De quo discursu plura statim dicemus. Hæc ergo numeratio tanquam doctrinalis, et satis apta ad explicandos effectus per se convenientes legi acceptanda est, et explicanda. Ad illius vero meliorem intelligentiam declarabimus